Quelle: http://manuscripta.at/?ID=28694
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

si quod genus hominum magis quam is-
tos antiquum vaticinium tangat:
secuerunt pregnantes galaath: ad
dilatandos terminos suos. Sed haec
alias. Malachias factus dunensis
episcopus: confestim more suo curavit
asciscere ad solatium sibi de filiis
suis conventum: regularium clericorum.
Et ecce rursus accingitur quasi novus
christi tyro. ad spirituale certamen: rursus
induit arma potentia deo: sanctae
paupertatis humilitatem: rigorem
disciplinae cenobialis: ocium con-
templandi: orandi assiduitatem.
Quae tamen omnia: voto magis valuit di-
u tenere quam actu. Etenim univer-
si confluebant ad eum: nec modo medio-
cres. sed et nobiles et potentes illius
se sapientiae et sanctitati instruendos: cor-
rigendos regendosque committere fes-
tinabant. Et ipse interdum ibat et exi-
bat seminare semen suum: dispo-
nens et decernens tota auctorita-
te de rebus ecclesiasticis: tanquam ex
apostolis unus. Et nemo illi dicebat in
qua potestate haec facis: viden-
tibus cunctis signa et prodigia quae
faciebat: et quia ubi spiritus domini. ibi liber-
tas. Visum tamen sibi non tutum satis ac-
titari ista. absque sedis apostolicae auc-
toritate: et romam proficisci deli-
berat. Maximeque quod metropolicae se-
di deerat adhuc et defuerat ab
initio pallii usus: quod est plenitu-
do honoris. Et visum est bonum in o-
culis eius: si ecclesia pro qua tantum labo-
raverat: honorem quem actenus non habu-
erat. suo acquireret studio et labo-
re. Erat et altera metropolica sedes.
quam de novo constituerat celsus:
primae tamen sedi et illius archiepiscopo sub-
dita. tanquam primati. Et huic quoque ob-
tabat nichilominus pallium mala-
chias: confirmarique auctoritate
sedis apostolicae: prerogativam quam be-
neficio celestini adipisci meru-
erat. Innotescente proposito: displi-
cuit fratribus: nec non et magnatis et
populo terrae. Omnis enim intolerabile esse
iudicabant tam diuturnam omnium
pium parentis absentiam: et quod me-
tuerent de morte ipsius. Contigit
interea mori germanum eius. christianum
nomine: virum bonum: plenum gratiae et
virtutis. Episcopus erat: illi quidem secundus in
celebri opinione: sed vitae sanctimo-
nia. et iusticiae zelo forte non im-
par. Huius decessus magis terruit
universos: et discessum malachiae
reddidit molestiorem. Dicebant
autem nullomodo assentiendum unici pe-
regrinationi patris: ut non desoletur
omnis terra: si duabus tantis columnis
sub uno momento temporis destitu-
atur. Ergo omnis parte contradi-
citur. Et vim faciebant: cum ille divinam